¶Sermo habitus Rome in baſilica principis aploꝝ per Reuerendum p̄rem dn̄m Guillermum de Pere riis Auditorē aplicuꝫ. ſup̱ electione futuri pōtificis Anno. Mcccclxxxiiii. die Jouis. xxvi. Auguſti.

Quoniā miſerādā eccl'ie Ro. calamitatē: ꝛ infinita xp̄i
ane religionis pericula: Reuerēdiſſimi p̄res. cūctoꝝ fi
delium corda cognoſcunt̄: Eo magis vobis āimtendū:
ac ſummop̱e laborandū eſt vt puris mētibꝰ ac recto iudicio di
gnus eligat̄ antiſtes. Nā ꝛ ſi vniūſi ſancte m̄ris eccl'ie filii: ma
ternis neceſſitatibꝰ occurrere debeāt: vos tn̄ p̄cipue qui gradū
excelſuꝫ in eiꝰ gremio tenetis. ꝯſtanter ac celeriter de optīo ſibi
p̱ut vobis ꝯuenit debetiſ p̱uidere paſtore. In cūctis nāqꝫ dei ſa
cerdotibus eligēdis: curā ſp̱ oportet eſſe ꝯſpicuā: Ad ſummū
tn̄ pontificatū talis ac tantus hac p̄cipue neceſſitatis tēpeſtate.
p̱uehēdus eſt: Cui tuto p̱iclitātis eccl'ie gubernacula ꝯmittan
tur. Nā vbi ſeua orta tēpeſtas eſt: ac turbato mari rapit̄ vecto
nauis. magno gubernatore ac peritiſſimo opus eſt. Nō tranquil
lo certe mari nauigamus: ſꝫ multis aduerſitatū procellis. ſub
merſi pene ſumus. Idcirco magis euigilādū eſt. In domo dn̄i
.i. ſancta eccl'ia nihil corruptū: nihil p̄poſteruꝫ eſſe debet: Sꝫ
attente p̱ſpiciendū eſt: vt in electiōe illius qui ſup̱ omnes gra
dus ꝯſtituit̄: nullatenus erretur. Nā affirmāte beato Leone.
Totius familie dn̄i ſtatus ꝛ ordo nutabit: ſi quod requirit̄ in
corp̱e nō inueniat̄ in capite. Pēſandū eſt itaqꝫ diligēter: ac pia
cogitatōe mētibus v̄ris reuoluēdum eſt. quantū eccl'ie ac vni
uerſe xp̄iane religioni detrimentū ſit: parū bonū: aut inutilem:
vel aliter q̄ꝫ decet hr̄e paſtorē. In Romāo pōtifice magna exi
gunt̄ merita cū vita: Qꝛ duꝫ bonoꝝ vicia remunerat: om̄is p̱
uertit̄ eccl'ie maieſtas. Ait em̄ beatus Leo. Principatꝰ: quē
aut ſeditio extorſit: aut ābitus occupauerit: etiā ſi moribꝰ atqꝫ
actibus nō offenderit: ip̄ius tn̄ initii ſui p̱niciosus eſt exemplo
Et difficile eſt: vt bono pagant̄ exitu: que malo ſunt inchoata
p̄cipio. Uulnerato paſtore vt beatꝰ Gregorius inq̄t. Quis
curādis ouibus adhibebit medicinā. Aut quomō populū oro

Inc. 1246

nis clipeo tuebit᷑: ꝗ ſaculis hoſtiū ſeſe feriēdum exponit. Aut
q̄lem de ſe fructū ꝓducturus eſt. cuius graui peſte radix inficit᷑:
Maior eſt ergo tunc metuenda calamitas vbi tales interceſſo
res ad locum regiminis adducunt᷑. Qui dei magis iracūdiam
in ſe ꝓuocent quā ꝑ ſemetip̄os placare debuerāt. Imminētem
militātis eccl'ie ruiná ꝯtemplari debetis. Diuturna Theucro-
rum rabies religionē nr̄am cōtinua ꝑſecutiōe deuaſtat. Et ſin
gularis ferus depaſcit eccl'iaꝫ. Hoſtilibus gladiis xp̄ianus ſan
guis effundit᷑. Augent᷑ morbi. Et medicia nulla pat᷑. Eccl'ia q̄
olim inter omnes orbis nationes glorioſiſſima fuit. Nūc igno
minia plena eſt. Et inter hoſtiles incurſus humiliata cōculcat᷑.
Facta eſt vidua nō habens ꝯſolatorem. xp̄ianorum principuꝫ
videt᷑ eſſe deſtituta preſidiis. Sacerdotum denudata conſilio.
Viciorꝫ inſurgentiū ſordibus ꝯtaminata. Ab adiutore deo di
citur eſſe deſerta. Et q̄ vrtutū claritate ꝛ ſanctorꝫ ſuffragiis re-
dūdare ꝯſueuerat. Nūc ſqualida ſedet inter malorꝫ anguſtias.
Et ꝓcellis magis ac magis intumeſcētibus ſagena ſummi pi-
ſcatoris pene cogit᷑ in naufragii ꝓfūda ſubmergi. Et vere Ro
mana eccl'ia princeps olim ꝓuinciarꝫ facta eſt ſub tributo pec-
cantiū. Nam laicis ꝑiter ꝛ hoſtibus ꝓpter demerita facinoruꝫ
nr̄orꝫ aduerſus nos inſurgentibus. ſacerdotium ſub miſerabili
q̄daꝫ ſeruitute redactū eſt. Et multi ſecularium hominum cuꝫ
plus vitā ſacerdotū q̄ꝫ ſuam diſcutiunt. In magnum diuinorū
ſacramentorꝫ cōtemptum incurrūt. Et libertatē eccl'ie penitus
abolere moliunt᷑. Hec om̄ia in ꝑſidentiū culpā atq̄ꝫ deſidiā re-
torquent᷑. Omnes q̄ ſua ſunt querūt. Et nemo que Iheſu xp̄i.
Et cū multis ſe opponat muruꝫ ꝛ ante murale pro domo dn̄i.
om̄is eccl'ie libertas eneruat᷑. Et eccl'ia dei rurſum peccatꝭ nr̄is
exigētibus captiua reducit᷑ in babilonem. Omnes amici eius
ſpreuerūt eam. Et propter miniſtrorꝫ defectuꝫ ab internis ꝛ ex
ternis oppreſſa conculcatur. Omnes porte eius ac veri ſenſus
vagi ꝛ diſſipati ſunt. Et mors intrat ꝑ eas. Dum per malaꝫ p̄
ſidentiū vitaꝫ inferiorꝫ corda vulnerant᷑. Unde inquit beatus
Gregorius. Scire p̄lati debent quia ſi ꝑuerſa vnq̄ꝫ perpetrāt.
tot mortibus digni ſunt quot ad ſubditos ſuos ꝑditōis exem-

pla tranſmittũt. Lr̃arum ſcientia ab omni fere ſacerdotio reli
citur. Et ideo ſqualet fidelium caritas. Et gemit regale ſacerdo
tium. dum pro ꝟtutibus replemur amaritudinibus viciorum.
Nec ab hiis anguſtiis eripit̃. Quoniã aurũ eius optimũ ob
ſcuratũ eſt. Et inter infinitas ſeculi vanitates color ſanctitatis
euãuit. Subſequētibuſq; iniquitatũ tenebris. iuſticie lumē ex
tinctũ eſt. Et dũ xp̃ianitas intra ſe populorum ꝛ hominũ furore
colliſa viribus ſuis cõcutit̃. Eccl'ia minutatim per fruſtra diſ
cerpit̃. ꝛ vineā dñi ſabaoth vulpes que ab oriēte procedũt die
tim exterminãt. Nam cum inimici nr̃e fidei cunctũ pene orbeꝫ
ſubiectuꝫ teneant. Extrema pars occidui nobis miſeris relicta
eſt. Eya ergo Reuerendiſſimi p̃res ꝑpenſius attendere digne
mini. in quantas miſerias ſumus p̃cipitati. In quantaq; neceſ
ſitate Romana ꝟſat̃ eccl'ia que ſuper electione pontificis fidē
a vobis expoſcit. Attēdite quantum ꝛ q̃ꝫ arduum vobis onus
incũbit. Cum de creatõne vicarii Jheſu xp̃i agit̃. Qui ſucceſ
ſor eſt Petri. Et ſummus gregis dñici ac toti9 eccl'ie Rector.
Quem ſcitis non ſolũ veſtrum ꝛ huius ſedis ap̃lice. Sed om
nium eccl'iarũ atq; pontificum eſſe primatem. Omni itaq; pri
mate affectõis in ordinatõe remota. miſeramini oim fidelium
ꝛ eccl'ie collabētis. Et ſola vtilitate publica mature pēſata. pu
ris ac liberis mētibus nuda ꝛ integra cõſcientia. talem ſtudeat̃
põtificem eligere. Qui habeat ſpiritum dei in ſemetipſo. Et q
omnes actus vite ſue didiſcerit in timore domi dirigere. Per
quem miſericors deus in diebus noſtris expugnet impugnan
tes nos. muniat fidē nr̃aꝫ. multiplicet deuotõeꝫ. indicat belluꝫ
viciis ꝛ pacē ꝟtutibus. Nã vt ait beat9 Greg. In eligēdo põ
tificis eã null9 vr̃m vtilitate ꝯmũi neglecta ſuo lucro ꝓſpiciat
Ne ſi quiſq; ꝓpria cõmoda appetat. friuola extimatõne fallat̃:
Quia nec libero iudicio ꝓferēdaꝫ ſibi pſonaꝫ examinat mēs.
quã cupiditas ligat. Tãto igit̃ nũc a vobis ſubtiliter ãteq; eli
gat̃. diſcutiēdus eſt: Quãto poſtmodũ a vobis nõ erit iudicã
dus: Sꝫ ip̃e cũctos iudicabit. Nec illi vos legē imponere po
teritis: quē timor dei ꝛ recta ꝯſciētia a malis opib9 nõ reuocabũt
Ille nãq; pontifex eligēdus eſt: q vt beatus Jeronimus ait ſit

ex omībus pſtantior: Qui doctior: Qui ſanctior: Qui i omī
ꝟtute ſit eminētior: Qui teſtimoniū bone vite hēat ab hiis. q
foris ſunt: Qui nō ābulet in magnis neqꝫ in mirabilibꝰ ſupra
ſe: Qui modeſtiā ſeruet in honore tam ſublimi: Qui eccl'iam
in mãibus laicoꝝ pſtituendā nō exponat: Qui ſentiat ipoſitū
ſibi miniſteriū: Nō datū dñiuz. Diſcat ſeſe ex ore ꝓphetico nō
taz ad ipetrandū qꝫ ad fatigandū aſſumptū. Diſcat opus eſſe
ſarculo: nō ſceptro: pace: nō bello: ꝟga correctōis: non gladio
ꝑditōis. Quoniā ſi verus Petri ſucceſſor eſſe velit: curā potiꝰ
hereditabit qꝫ gl'iaz ꝛ diuitias. Nā cū q hereditatē xp̄i guber
nandā accepit: nō ꝯuenit torpere ocio: Nō r̄ſolui deliciis: Nō
pompis. aut vanitatibꝰ inſiſtere: Nā nihil hoꝝ ſibi tabule te-
ſtatoris aſſignāt. Nō blādiat' ſibi eminētia cathedre: que ple-
na eſt laboris ꝛ vigilaꝝ: Nā idcirco Romanus pōtifex in emi
nēti loco ſuꝑ omnes ꝯſtituit': vt inde proſpiciat vniuerſa: ꝛ ſpe
culet' ad ſolicitudinē omnium eccl'iarum: Hoſtiles incurſus ꝓ
uideat: ad gregis ſibi ꝯmiſſi cuſtodiaz: Cleros ac populos nō
recte viuētes: velud oues errātes corripiat: Potentatꝰ ſeculi
eccl'ie libertatē opprimētes r̄primat. ꝛ paſtorali auctoritate co
herceat: Inde clamet ſine fine: ac ſine timore: ꝛ velut tuba euā
gelica ꝓ lege dñi vocē ſuā in omnē terrā exaltet: ꝛ canonū cēſu
ram dum opus fuerit exerceat. Inde legatos ad gētes ꝛ regna
ſuggerēte ncc'itate tranſmittat. qui ſedis ap'l'ice vices impleant:
Qui ab eo bonis exēplis ꝛ ꝟtutibus inſtructi: Nō queſtuoſis
facultatibus ſuffarcinati egrediant': Qui ad extirpādū vicia:
Non ad ſeminandū ſcandala ꝑficiſcāt'. Erit inqꝫ talis ponti-
fex: q plus eccl'ie ꝓdeſſe ſtudeat: qꝫ preeſſe. Nam primatū ho
noris gr̄a ꝯcupiſcere. vanitas eſt: Et gentiliū eſt. talem querere
principatū. Unde bene Criſoſtomꝰ ait. pricipes eccl'ie fiunt: vt
ſeruiāt mēbris ſuis: ꝛ miniſtrēt eis: quecūqꝫ acceperint a xp̄o:
vt ſuas vtilitates negligāt: ꝛ illoꝝ ꝓcurent: Et mori nō recu-
ſent ꝓ ſalute inferioꝝ. Primatū ergo eccl'ie ꝯcupiſcere: neqꝫ iu
ſtum eſt: neqꝫ vtile. Quis em̄ vult vltro ſe ſubiicere ſuituti: ac
ꝑiculo tali: vt det rōnem ꝓ omni eccl'ia: Niſi forte q nō timet
dei iudiciū: abutēs primatu eccl'iaſtico ſeculariter: vt illuz con

uertat in ſeculare͂. Erit p̃terea qui eliget po͂tifex. iuſticie cultoꝛ ꝛ gra͂ꝝ cu͂ diſcretione diſtributoꝛ. Pauperibus ꝛ oppꝛeſſis benignus auxiliatoꝛ: Sit in audientia facilis: Et in co͂cedendo: no͂ pꝛodigus: ſed pꝛudens atq̃ diſcretus. No͂ eſt aute͂ Romano pontifici ꝯueniens: vt de illoꝛum ſit numero. de quibus ait Criſoſtomus: Inter pꝛincipes eccl'ie multi ſepius inueniu͂t: q om̃es pꝛicipatus mu͂di ſupbia excedere videant': Acceſſu difficilimi: Et qui nulla͂ affabilitate͂ maxime paupib9 adhibe͂t: Sꝫ velut in quoda͂ arroga͂te culmine poſiti: neſciu͂t quicq̃ inferre aut reſpo͂dere modeſte. Alios vt longe infra ſe poſitos. velut in yma reſpiciu͂t. Quibus no͂ ꝯſulendo: Sed vix dn̄ando loq dignant'. Familiam quoq̃ modeſta͂ ꝛ boneſtam: non inutilem atq̃ ꝓphanam Romanus pontifex debet ſecum habere: no͂ p ambito͂em induc̃ta͂ aut p alluuione͂ aggregata͂: Sed cu͂ diſcretio͂e: ꝛ p neceſſitate recepta͂: Quonia͂ ad magna͂ ipſius gloꝛiam redu͂dat: tales circa ſe iugiter habere: q Romane curie ſint honeſtatis ſpeculu͂. ꝛ foꝛma ꝟtutum. Unde beatus Ber. ait. Inter mitratos no͂ decet diſcurrere calamiſtratos. Si bonus erit po͂tifex ac time͂s deu͂ ardua q̃que: vt decet iuxta maioꝝ inſtituta maturo ac ſapie͂ti ſacri ſenatus vr̃i ꝯſilio ꝛ aſſenſu tractabit. examinabit. atq̃ ꝯcludet. Alioqn ſine vobis: ꝛ p libito diſponet vniuerſa. Ad ꝯcluſa vocabimi vt teſtes: no͂ vt conſultoꝛes Cu͂ bono po͂tifice ſimul ꝛ iura dignitatis veſtre vobis reſtitue͂tur: Que q̃liter amiſiſtis: vos ip̄i recogitet'. Ita quoq̃ futuri po͂tificis incu͂bet officio. vt qcquid pꝛedeceſſoꝝ facilitate: vſq̃ reph̃enſioni obnoxiu͂. Aut coꝛruptio͂is vel alienatio͂nis vſurpatione pꝛeſumptu͂ inuenerit abſq̃ perſonarum acceptio͂ne paſtorali ſtudeat grauitate coꝛrigere. Erit ipſe verax in ſermone. et ꝯſtans in opere. Nam po͂tificis ligua nullius debet mendacii ꝯtaminato͂e fedari. Eius quoq̃ ſn̄ia vt Gregoꝛius inquit. ta͂ta ſemp debet ꝯſilii moderatione concipi. ta͂ta patientie maturitate decoqui. tanta deliberato͂is grauitate ꝓferri. vt neceſſarium poſtea no͂ ſit ea͂ cu͂ leuitat' nota mutare. ꝓſeq̃t' vicia ꝛ ꝟtutes augebit. Gyeſitas vt Heliſeus. Symo͂iacos vt Petr9. Foꝛnica͂tes notoꝛios vt Paul9. quoꝝ opibus eccl'ie Roma͂e lacerat' au

ctoritas paſtorali ſeueritate dānabit. Nō edificabit Syō .i. ec-
cleſiā in ſanguinibus. Quoniā Petrus nō ꝑ carnem ⁊ ſangui-
nem ſed ꝑ p̄rez celeſtem filiū dei cognouit. Propterea beat⁹
Jeronimus ait. Moyſes amicus dei cui facie ad faciē locutus
eſt deus. potuit itaqꝫ ſucceſſores pricipat⁹ ſui. filios ſuos face-
re. ⁊ poſteris ꝓpaꝫ relinq̄re dignitatē. Sed extrane⁹ de alia tri
bu Jheſus eligit'. vt ſciremus principatū in populos. non ſan-
guini deferendū eſſe. ſed vite. Et ſubdit. At nūc cernimus plu
rimos hanc rem bn̄ficium h̄re vt nō querant eos in eccleſia co
lūpnas erigere quos plus cognoſcūt eccl'ie ꝓdeſſe. Sed quos
vel ip̄i amāt. vel quoꝝ ſunt obſequiis deliniti. vel ꝓ q̄bus ma-
ioꝝ quiſpiam rogauerit. Et vt deteriora taceam. qui vt clerici
fierent muneribus impetrarūt. Non deſunt autē plurimi qui
ex hoc ſedis apl'ice dignitatē impugnant. dicentes ꝙ eccl'ia edi
ficat' in ſanguine. ꝙqꝫ prelati ex ſanguine naſcunt'. ⁊ ex volun-
tate carnis generant'. Sanguis. ſanginem inuocat. Et caro car
ni indicat maliciam. His detractionibus obſtruendis opus no
bis eſſet tali pontifice q̄ vt Rex Salem nec p̄rem. nec matrē.
nec genealogiā h̄eret. aut inordinatā carnis affectioneꝫ. Felix
certe ille pontifex erit qui inſultanti contra debitum caritatis
ſanguini. cuꝫ Pſalmiſta reſpōdere poterit. Que vtilitas i ſan
uine meo cū deſcendero in corruptōeꝫ: Si bonus erit pontifex
ad collegium veſtrum quando neceſſitas exegerit. modo cano
nico ⁊ determinatis temporibus viros probos ⁊ graues aſſu-
ment. Expertos. non ꝓbādos. Meritos. non ambitioſos. Vir
tutibus ⁊ lr̄is diuites. non qui de peccuniarū habundantia glo
rient'. Alios quoqꝫ p̄latos nō precipitāter. Sed matura mo-
rū vite diſcuſſione p̄miſſa ꝓmouebit. Nec ꝯtra doctrinā Apl'i
cito. i. incōſiderate ꝓmouēdis manum imponet. Romanam cu
riam facto. nō inanibus verbis reformare curabit. vt ex ea tan-
tus vanitatis corruptionis ⁊ carnalis immūdicie fetor. procul
abigat'. Nam ab his letale venenū conficit'. quod fidelibus vi
ſu vel fama ꝓpinatū omnem in eis deuotionem religionis ex-
tinguit. Et eccl'ie Romane ꝑimit auctoritatē. Paulatim h' vi
cia primo ꝑ quandā alluuionem multoꝝ animos occuparunt.

Et interdum etiam vindicata fuerunt. At nūc illorum contagio velut generalis peſtilentia totam curiam inuaſit. Et corrupti mores quos hec peſſima ac diuerſa inter ſe mala luxuria atq̄ auaricia gignunt. Curiam ipſam ab omni honeſtate diſpoliarunt. quodq̄ deterius eſt. et magis pernicioſum exemplo inueniuntur multi quibus non ſatis eſt hec mala impune perpetrare. Niſi etiam velut de pudicitia ceteriſq̄ virtutibus ſubuerſis triumphantes in malefactis publice glorientur. Olim dum boni mores in Romana curia colebātur gradus ad dignitates et honores non niſi per virtutes et litteras aperiebatur. At nunc poſtq̄ inter bonos et malos nullum diſcrimē eſt. Et omnia virtutis premia ambitio poſſidet ac auaricia cūctas bonas artes ſubuertit. homines adigunt animum vt malis artibus ad dignitates aſcendant. Et talibus doctrinis imbuti ad omnes libidines facile ſe conferunt. Et ne mali mercatores fuiſſe videantur quod multis nūmis emerunt. carius ipſi aliis vendere laborāt Eligatur ergo pontifex qui talis abhorreat. Et paſtorali ſarculo radicem illorum extirpet. Ac curiam ita reformet. Ut vnde quondam ſancte religionis emanauit auctoritas. Inde morum et recte viuendi prodeat diſciplina. Ipſam vero Curiam inutilium officiorum nouitate non angariabit. Et que ſine rōne inducta ſunt: ac reipublice penitus inutilia ſubmouebit. Nam Romanam Curiam maiores noſtri paucis ac manifeſtis neceſſariorum officialium taxatis premiis. ſemper in libertate conſeruarunt: Et ſic eam tot tantiſq̄ ſuperinductis oneribus: nec conuenit nec expedit aggrauari. Longeq̄ melius ac vtilius eſt. vt onera conſueta ſponte ferantur: q̄ ſi aggrauato nimis pondere: tota ſimul ſarcina deponatur ad terram. Generale concilium velut quandam immanem beluam bonus pontifex non effugiet: ſed conuocabit: Nam ad recuperandam eccleſie libertatem hoc vnicum ſalubre remedium nobis relictum eſt. Que enim maior eſſe poteſt Romano pontifici gloria: q̄ generali concilio preſidere. ad reformandam vniuerſalem eccleſiam: Qui antē aliter viuūt et regnant: q̄ honeſtatis et iuſticie racio dictat. generalia concilia abhorrere conſueuerunt.

SUpereſt tandē Reuerēdiſſimi patres: vt ego ꝑ tēpis
qualitate finem dicēdi faciam: Et vos que de optimo
pōtifice creando audiuiſtis: cooꝑante ſpiritu ſancto· opere cō-
pleatis: Ac electionis ſancte miſteriū: qd apud vos eccl'ia Ro-
mana depoſuit: ei repoſcēti cū omni fidelitate perſoluatis· Et
poſtpoſitis cuiuſlibet ꝑuitatis ſtudiis: obicere ſpūi ſancto non
opponatis. Et ſi forſan aliqs corruptōis ſpiritus corda veſtra
tēptauerit: Eo r̄pulſo, magna voce cū Petro clametꝭ: Pecūia
tua tecū ſit in ꝑditōem· quia exiſtimaſti donū dei pecunia poſſi
dere: vt inexpiabili peccato reiecto: eccl'ia dei incōtaminata ſer
uet': Et vos diuinū quod non fallitur iudiciū: ac eterne dam-
natōis interitum euitetis. Deus autē noſter per viſcera miſe-
ricordie ſue: ſicut facit in ſublimibus cōcordiā: Ita vos faciat
in bene eligēdo ſua pietate ꝯcordes: vt popul9 xp̄ianus meri-
to gaudere poſſit viduatā eccl'iaꝫ: dignis ac fidelib9 miſtris fu
iſſe creditā· Quoꝝ miniſterio ſponſuꝫ optimū ꝯſeq̄tur· Amē·

¶ Finis·

BIBLIOTHECA NACIONAL DE LISBOA

Inc. 1246